



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CCCXLIII. Das Domcapitel sendet einen Mönch dem Kloster Pudgla zurück,  
am 1. Sept. 1382.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

ris et Conradi Nuenborch diaconorum canonicorum Monasterii Sancti Montis fereni, ecclesie Romane immediate subiecti, ordinis Sancti Augustini, Magdeburgensis diocesis, nobis oblata petitio continebat, quod cum olim quidam laici cum certis familiaribus ipsius Monasterii infra septa eiusdem Monasterii se mutuo uerberando inuicem rixarentur, negotio huiusmodi ad dicti Curadi Canicz notitiam deducto, ipse Curadus uelociter assumpta lancea pro succursu dictorum familiarium ad locum ubi huiusmodi rixa fiebat cucurrit, et cum vnus ex dictis familiaribus non appareret dictus Curadus eum querens et videns vnum de dictis laicis currentem contra eum quendam cultellum quem habebat contra eundem laicum iactauit, ipsum tamen nec quemcunque alium non tetigit nec percussit: deinde prefati Vlricus, Bernardus et Curadus casu superuenientes sine armis premissis consideratis pro sui canonici liberatione se interposuerunt turbaque laicorum multiplicata idem canonici se intra valuam dicti Monasterii reducerunt valuamque clausurunt; Sed cum vnus ex dictis laicis valuam rursus aperuisset, dicti canonici cum suis familiaribus extra valuam cucurrerunt fugantes et repellentes dictos suos emulatores, et tunc quidam ex dictis laicis prefatum vlricum vulnerauit ipseque Vlricus ipsum laicum repercuciendo vulnerauit citra tamen mortem aut mutilationem uel alicuius membri sui debilitationem. Tandem succrescente tumultu Tydericus vorholez, subaduocatus loci illius, superuenit et se huiusmodi tumultui immiscens quendam ex ipsis laicis vulnerauit, de quo postmodum expirauit, ipso subaduocato continuo asserente, sibi tanquam officiali premissa facere licuisse. Et licet prefati canonici in premissis aliam opem uel operam non dederunt, tamen a suorum executione ordinum abstinerunt extunc, prout abstinent de presenti, culpam formidantes, ubi culpa tamen minime reperitur. Super quibus supplicari fecerunt humiliter, eis per sedem apostolicam de oportuno remedio misericorditer prouideri. Nos igitur auctoritate domini pape, cuius primarie curam gerimus, Circumspectioni vestre, cum ordinarium eorum habeant in hac parte suspectum, committimus, quatenus, si premissa per diligentem inquisitionem inueneritis, uera fore et dicti exponentes alias culpabiles non fuerint in premissis, super quibus uestram intendimus conscientiam onerare, declaretis ipsos exponentes occasione premissorum nullam irregularitatis maculam incurrisse et eos premissis non obstantibus in suis ordinibus licite posse ministrare. Datum Rome, apud sanctum Petrum XVII. Kal. Maii Pontificatus domini Urbani pape VI. anno Quarto.

Jo. Penoueniterri

pro teste Ant. de Caluis.

Nach dem Original im Königl. Sächsischen Staats-Archiv in Dresden.

**CCCXLIII.** Das Domcapitel sendet einen Mönch dem Kloster Püdgla zurück, am 1. Sept. 1382.

Venerabili in Christo patri, abbati monasterii in Pügdlow, ordinis Premonstratensis, Henzo prepositus, Bertramus prior totumque capitulum ecclesie Brandenburgensis eiusdem ordinis sinceram et fraternam in domino charitatem. Quia pro dolor ecclesia nostra in suis redditibus et proventibus ex malorum suggestionem, instigationem et guerris devastata miserabiliter extenuata atque debitorum oneribus graviter occupata existit, propter quod non solum preteritis afflictis malis sed et futuris iam de novo imminentibus non solum propter premissa uerum etiam propter raptorum vexationem et tyrannorum angariationem nobis mala peiora prioribus et erumnam non modicam evenire formidamus. Ideirco uestre uenerabilitati fraterneque dilectioni supplicamus studiose cum affectu, quatenus fratrem Mathiam uestri monasterii, quem nobis miseratis, nobiscum aliquamdiu commanendum, benigne

et caritative reassumatis, ipsius remissionem nobis non imputantes, cum sincere propter pericula premissa, immo jam acta, existentia et majora seu plura nobis ut timemus imminetia ipsum fratrem Mathiam pro suo commodo bene digno ad presens retinere non valeamus, sicuti tamen libenti animo amore vestri fecissemus, et faciemus necessitate id exposcente, si, opitulante domino, pacis tranquillitatem consequemur et debitorum oneribus sublevemur. De ipsius enim fratris Mathie conversatione bona et vita probatissima dignum duximus laudabile testimonium presentibus literis nostris perhibendum. Datum Brandenburg, anno domini M. CCC. LXXXII. die beati Egidii abbatis sub sigillo prepositi Brandenburg, Terminum vero ad vos redeundi eidem fratri preficimus diem beati Michaelis archangeli proxime instantem.

Nach einer Copie im Ältern Copiaro.

**CCCXLIV. Der Markgraf Siegmund verbietet dem Bischofe von Brandenburg, seine Städte eigenmächtig in den Bann zu thun, am 27. Septbr. 1382.**

Vnsere gunst zuvor. Wiszet, Herre Bischof, daz vor vns gekommen ist, wie daz ir vnser Stette bannet vnd zu notgedinge brenget; also daz Ir vor vns nie vorklagt habt: denne wir io seluer richter ober sy wollen blyuen. Auch seyn sy Euch alle gerecht, Riddere vnde gebure in deme lande; sie müthen doch alle vor Ewer officialen, wenne er inen gebeut. Nun wollen wir ernslicken, daz ir davon latet von stunden an: thut ir daz nicht, so haben wir also befolen, daz man Euch vnde dy Ewern süren sal, es sey Euch lieb oder leyd. Ewer andwort. Geben zu Pofznan, des Sonauendes vor Sunte Michelstage.

Das Schreiben ist zwar ohne Angabe des Jahres, letzteres jedoch an dem Umstande leicht zu errathen, daß Siegmund am Sonnabend vor St. Michaelstage 1382 von Posen datirt an die Städte Berlin und Cöln noch zwei Schreiben erließ, Gercken's Cod IV, 411. und Fildicin's Beiträge IV, 51.

**CCCXLV. Notarielles Instrument über die Uebergabe der Pfarrstelle in Klein-Kreuz, am 27. Septbr. 1382.**

In nomine domini. Amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCC. LXXXII. vicesima septima die mensis Septembris hora nona vel quasi indictione quinta, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri, domini Urbani, divina providentia pape sexti anno quinto ante januam ecclesie parochialis in parva villa Crutzewitz Brandenburg. dyoc. in mei notarii publici subscripti et testium infra scriptorum presentia constitutus discretus vir dominus Johannes dictus van me Sande, rector ecclesie parochialis in villa Weferam, dicte dyoc., ex mandato dominorum Hentzonis Geristorp prepositi, Bertrami de Stegelitz prioris et capituli ecclesie Brandenburgensis honorabilem virum Johannem Testorp presbyterum, canonicum dicte ecclesie Brandenburgensis in possessionem vel quasi perpetue vicarie dicte ecclesie parochialis in villa parva Crutzewitz, videlicet ad curam populi ejusdem ecclesie inibi parochialis ad hoc vocatis et presentibus, duxit cor-